C
ZE
0 7

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

# DE LIMINIBUS
# APOSTOLORUM
## DISQUISITIO HISTORICA

AUSPICIIS

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

# PII SEXTI

## PONT. OPT. MAX.

IN COLLEGIO ROMANO HABENDA

A PETRO SALOMONI ROMANO

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ AUDITORE



ROMÆ MDCCLXXV.

JO. GENEROSUS SALOMONIUS

PUBLICA EXCUDEBAT FACULTATE

1879

Digitized by Google

Digitized by Google

*Sanctiſsimo Domino Noſtro Domino*

# PIO SEXTO

## PONT. OPT. MAX.

PETRUS SALOMONI
PERENNEM FELICITATEM

AUDAX fortaſſe videbitur, nec tamen reprehendendum duco, conſilium hoc meum, BEATISSIME PATER, quo auguſtiſſimam, quæ toto orbe ſedes eſt,



Digitized by Google

adire adoleſcens, ſummiſque curis, negotiiſque innumeris diſtentam SANCTITATEM VESTRAM, oblata ſcholæ exercitatione quadam, interpellare non reformidem. Quin eo provehor, ut aſſeverem, qui ob id damnandum me eſſe exiſtimet, eum neceſſe eſſe, ut rem, de qua agitur, qualis ſit; & me, plane neſciat; SANCTITATIS autem VESTRÆ laudes, virtuteſque animi præſtantiſſimas, quoniam ignorare plane non poteſt, animo minus attento conſideret atque perpendat. Eſt enim argumentum, quod mihi propoſui ita magnum, ita huic tempori conſentaneum, & ad Romanæ Sedis dignitatem intelligendam adeo conducit; ut nullum eo præſtantius, opportunius nullum nunc quidem deferri ad Romanum Pontificem poſſit: cujus gratia potiſſimum, hoc ſacro Jubilæi anno recurrente, Apoſtolorum limina

a diſ-

a diſſitis etiam longe gentibus, populiſque adiri, ac frequentari ſumma religione videmus. De me nihil dicam aliud, niſi in libraria officina vitalem ſpiritum hauſiſſe primum, eumdem deinde duxiſſe, atque etiam nunc ducere; ut ſi poſtulem, ne ab iis, qui litteras amant, negligar atque repellar, videar meo quodam jure poſtulare. Eſt vero hæc in eximiis præclariſſimiſque Sanctitatis Vestræ laudibus, perpetua notaque omnibus; ita, quicquid ad litteras pertinet curaſſe atque adamaſſe, opibuſque omnibus omnique contentione foviſſe, ut ſibi ſolæ illæ eſſent Sanctitatem Vestram vindicaturæ, niſi manum injeciſſet Chriſtiana Reſpublica, & ad aliud vitæ genus, publicique boni curam traduxiſſet; & poſtquam integritatem, fidem, induſtriam, diligentiam, virtutes omnes, magnis, diffi-

cil-

cillimiſque muneribus obeundis, negotiiſque perite, & feliciter expediendis probaſſet, ad eum honoris, & dignitatis apicem, qui ſummus eſt, & ad Deum proxime accedit, admirabili plane conſenſu, & Orbis univerſi lætitia evexiſſet. Addam illud quoque; me in hac cogitatione, conſilioque plane eſſe confirmatum, poſtquam adductus a Parente meo, abjectuſque ad SANCTITATIS VESTRÆ pedes, ſenſi profecto, quæ de ſingulari atque incredibili clementia, &, ſi dicere fas eſt, humanitate, ac benignitate fama percrebuerant, veris multo eſſe minora. Quid ergo animos majores non ſumerem, & exercitationem hanc meam SANCTITATI VESTRÆ ſiſtere reformidarem? præſertim cum non meam unius cauſam agerem, ſed Profeſſorum Collegii hujus, atque Auditorum omnium, qui hac veluti occaſione oblata

lata, ſibi, munerique, quo defunguntur ſuo, SANCTITATIS VESTRÆ præſidium, & patrocinium enixe poſtulant; auſi etiam ſibi certo polliceri; quæ SANCTITATIS VESTRÆ in litteras, litteratoſque viros eſt clementia, ac liberalitas, fore, ut Scholas atque Athenæum hoc ſuum novis comparatis ſubſidiis, ornamentiſque augeat, ac tueatur. Quod dum ipſe quoque exoro, mihi, illiſque omnibus, advolutus SANCTITATIS VESTRÆ pedibus, Apoſtolicam benedictionem depoſco.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*F. A. Marcucci ab I. C. Ep. Montis-alti ac Viceſgerens.*

---

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sac. Pal. Apoſt. Magiſt.

DE

Digitized by Google

# THESES

## EXCERPTÆ EX DISQUISITIONE

## DE LIMINIBUS APOSTOLORUM

I. LIMINA Apoſtolorum cum veteres nominant, non figurate loquuntur partem Sacræ ædis pro tota Sacra æde accipientes, ſed partem ipſam, quod limen eſt, intelligere conſueverunt.

II. Religioſum fuit Sacrarum ædium limen, & ſolemniter poſitum; ut nunc ſolemni pompa poni fundamenta Eccleſiarum ſolent.

III. Religioſa fuere limina apud Paganos; nec tamen ex eorum moribus & inſtitutis ab Eccleſia expiatis originem duxit Chriſtianorum hæc ceremonia.

IV. Nullis univerſim Chriſtianis ritibus antiquis temporibus ab Eccleſia uſurpatis hæc origo debetur; nec vera eſt Baronii ad id firmandum aſſertio; Gentilium ritus a nobis benedictionibus expiatos divino eſſe cultui conſecratos, ea licentia, qua Deorum delubra in Eccleſias Chriſtianorum ſunt laudabiliter commutata.

V. Romæ ſingillatim de nullo Ethnicorum templo conſtat, fuiſſe ante ſæculum VI. in Eccleſiam conſecratum.

VI. Limina fuere in exteriori ambitu Eccleſiarum, & in aditu Sanctuarii ſeu Confeſſionis: ante utraque veſtibulum fuit, & vela obducta, & ſubjecti gradus.

VII. Li-

Digitized by Google

VII. Limina Apoſtolorum, in quibus peregrini aliique ſupplicaſſe narrantur, non fuere limina exterioris ambitus, ſed confeſſionis.

VIII. Eadem Apoſtolorum limina a veteribus celebrata in una dumtaxat Vaticana Beatorum Apoſtolorum Baſilica extitere.

Digitized by Google



QUAMVIS de Apoſtolorum Liminibus in veterum ac recentiorum ſcriptis, atque in ore vulgi ipſius frequentiſſima mentio ſit, necdum tamen extitit (novi certe neminem) qui hoc diſquiſitionis ſuæ alicujus argumentum faceret, & non in tranſcurſu potius rem veluti tangeret, quam accurate diligenterque explicaret. Veriti, credo, ſunt viri docti & graves, ne in eo, quod planum compertumque eſſe omnibus arbitrabantur, male eorum poſitus labor, atque inaniter collocata induſtria videretur. Quod ſecus omnino eſſe exiſtimo; atque hoc ego in eo pono genere, quod tale eſt, ut antequam de eo quæras, ſcire te, & plane tenere putes, poſtquam vero in attentam te de illo cogitationem inveſtigationemque demiſeris, fatearis te omnino ignorare. Etenim volo mihi ediſſeras, quid *Liminum* vocabulo veniat? cur factum eſt illud in adeundis ſacris ædibus nominandiſque frequentiſſimum? unde loquendi hic mos, unde, ſi ulla eſt, religio? plurane ſignificentur aut ſignificari poſſint? Apoſtolorum limina Romæ cum appellantur, quæ ſacræ ædes venirent, unane, an plures? Hæc niſi

A be-

bene diligenterque explicentur, res non omnino tenetur. Atqui non ita prona & facilis explicatio invenitur, & eſt ſolerti diſquiſitione digna; qua nulla quidem opportunior hoc tempore, cum ſacro Jubilæi anno recurrente, Apoſtolorum limina ab exteris hominibus & diſſitis plane gentibus adiri frequentarique videmus.

2. Quærendum eſt ergo primò, quid *liminum* nomine, cum *Sanctorum Limina* appellantur, veniat. Nam ſunt qui ſacram ipſam ædem totam hoc nomine ſignificari exiſtimant, ea plane ratione ac modo, quo ad rem totam ſignificandam pars una dumtaxat in vulgari etiam ſermone ponitur. Et ſi a communibus rhetorum præceptis diſcedamus, eſt qui id nos doceat Auguſtinus (1), multaque divinarum litterarum loca non aliter velit eſſe explananda. Sic ergo *limina* pro Eccleſia & ſacra æde univerſa appellari contendit Savaro (2), Gothofredus (3), Ducangius (4), aliique plures: quorum tamen explicatio, ut verum loquamur, ſatisfacere nobis nullo modo poteſt, qui animadvertimus, quando illud fit, ita, Auguſtino etiam docente, fieri, ut non quælibet, ſed rei pars nobiliſſima & præcipua adhibeatur: quis autem ædis univerſæ præcipuam & nobiliſſimam partem limen eſſe aſſeveret? Nec tamen ita nonnullos eſſe aliquando locutos negare volumus, ſeu communi, qui tunc invaluerit, loquendi modo, ſeu figurata, quam diximus, locutione. De iis loquimur, qui Apoſtolorum limina, vel Sanctorum aliorum culta & frequentata narrant. Atqui figurata locutio quærenda ibi non eſt, ubi partem ipſam appellare atque intelligere voluiſſe

Chri-

(1) *Lib. 1. quæſt. in Geneſ. cap. 117. n. 4.*
(2) *Ad Sidon. lib. 1. epiſt. 5.*
(3) *In gloſſar. nomic. C. Th.*
(4) *Gloſſar. V. limen.*

Chriſtianos, apparet ex Religione quadam, qua illam proſequebantur. Nam quando eam ſignificabant, non ipſo præciſe liminum nomine ſiſtebant, ſed alia quoque, quibus eam partem indigitare poterant, vocabula uſurpabant. Eſt enim Prudentii [1] illud

*Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo.*

& Aratoris [2]

*. . . . . . . tota concurritur urbe*
*Qui primus nova tecta petat, quive oſcula figat*
*Poſtibus, & tacta ſacretur parte cylindri.*

Paulini quoque [3]

*Sternitur ante fores, & poſtibus oſcula figit.*

Ita ergo *ſacra limina* appellantur, & *Apoſtolorum* appellari *limina* dicere omnino debemus, ut non ſacra ædes tota veniat, ſed ſacræ ædis limen ipſum, quod metallo, ut ornatius eſſet, conſtabat; ubi fores, poſteſque, & janua erat.

3. Verum ita difficilior perveſtigatio facta eſt, ac quæri omnino debet; cur limen maxime, ſi pars ædis iſta ſignificabatur, appellaretur? Hujus rei cauſam hanc eſſe exiſtimo, quod in ſacris ædibus conſtruendis, ſicuti nunc præcipuâ religione quadam fundamenta jaciuntur & ſolemni pompa, quod ædificationis initium ſit; ita, quod abſolutio & finis eſſet, olim limen poneretur. Hoc demonſtrare me poſſe confido ex antiquo lapide, qui etſi a viris doctis prolatus jampridem eſt Catello [4], Baluzio [5], Blanchinio [6], aliiſque; non tamen illis, perveſtigationibus aliis occupatis venit in mentem, quid in hanc rem capi emolumenti poſſet, quod eſſe maximum arbitramur. Sic vero ſe lapis habet



(1) *Hymn. de S. Hyppol. v. 193.*
(2) *Lib. II. Hiſt. Apoſt. v. 413.*
(3) *Natal. VI. v. 230.*
(4) *In Hiſtor. Occitan.*
(5) *Ad Salvian. pag. 408.*
(6) *Tom. 3. Anaſtaſ. pag. 158.*

* DO. ET. XPO. MISERANTE. LIM. HOC. C. L. K. T. E. ANNO. IIII. CS.

RVSTICVS. EPS. EPI. BONOSI FILIVS
EPI. ARATORIS. DE. SORORE NEPVS
EPI VENERISOCI. IN MONASTERIO
CONPRB. ECCLE. MASSILIENS.
ANNO. XV. EPTVS. SVI. D. ANN. V. III. ID OCTB
C. VRSoPRBo. HERMETE. DIACo ET EOR. SEQ.TIB

COEP. DEPON. PARIET.
XXXVII. D. QVAD. INF'
* ANNO. II. VII. ID. OCTB.
MARCELLVS. GALL. PF
EXEGIT. EPM. HOC. O
NECESSAR. REPROMIT.

Habet hoc monumentum Eccleſiæ veteris exuſtæ inſtaurationem, & eorum, quæ in ejus Eccleſiæ inſtauratione facta ſunt præcipua, enumerationem, cum ſua unicuique rei aſſignata temporis nota, & deſignatione facta annorum per Epiſcopatus Ruſtici Narbonenſis annos, quem bene Baluzius iniiſſe Epiſcopatum probat an. 430. VII. id. Octobr. Ergo 1°. ejus Epiſcopatus anno XV. ( vulg.ær. 444.) die anni quinta ( ideſt d.13. Octob.) cum Urſo Presbytero, Hermete Diacono, & eorum *ſequentibus* ( id.Acolythis ) veterem parietem depoſuerunt. 2°. trigeſima ſeptima die poſt, quadratus ( id. lapis quadratus, qui ſæpius *quadratus* præciſe dictus invenitur, atque hîc ita Blanchinius interpretatur ) in fundamento poſitus; ſive fundamento jaciendo initium factum die 37. Quadrageſimæ. 3°. anno ſecundo a cœpta ædificatione VII. Id. Octobris ( an.445. d.9.Octob.) abſidem poni fecit Montanus Subdiaconus. Marcellus Galliarum Præfectus Dei cultor prece exegit ab Epiſcopo, ut onus hoc ſuſciperet Eccleſiam inſtaurandi impendia neceſſaria repromittens, quæ per biennium adminiſtrationis ſuæ præbuit artificibus, mercedem ſolidorum ſexcentorum, ad operas & cetera ſolidos mille quingentos. Hinc *oblationes*

*San-*

Digitized by Google

ALENTINIANO. AVG. VI. IIIKL. D. XVIIII. ANNO. EPTVS. RVSTI....

| | | |
|---|---|---|
| CCL. DVD. EXVSTAE | BIENN. ADMINIST | EPI VENERI. SOL. C.... |
| NDAM. PONI. COEPI. | SVAE PREBV. ARTIFI. B | EPI. DYNAMI. L..... |
| BSID. P.F. MoNTANVS. SVBD. | MERCED SOL. ↄ C | ORESI. CC...... |
| F. DI. CVLTOR. PRECE | ADOPER. E CETER. SOL. I. ↄ | AGROECI. I...... |
| S. SVSCIP. INPENDIA | | ET DECONIAE......... |
| NS. QVAE PER | HINC. OBLAT. SCI | SALVTI......... |

*Sancti Epiſcopi Veneri ſolid. C . . . Epiſcopi Dynami L . . . Oreſi C C . . . . . Agroeci mille . . . . .* & *Deconiæ . . . ſaluti . . .* Hæc omnia ad annum pertinent 444. & 445. Sed etſi tempore priora, præcedit illa tamen in hoc monumento *liminis collocatio*: quam collocationem, veluti rem in Eccleſiæ ædificatione præcipuam, prima linea majoribus characteribus repræſentat. Sic enim explicandam docent; *Deo & Chriſto miſerante limen hoc conlocatum eſt anno quarto Conſule Valentiniano Aug. Sextum III. Kal. Decemb. XIX. anno Epiſcopatus Ruſtici*, ideſt a. ær. v. 448. d. 29. Novembris. Patet ergo, quæ tempore præceſſerant, veluti minora, ideo poſterius memorata eſſe, primo autem liminis collocationem ( quæ ſecuta eſt quadriennio poſt fundamenta poſita, & triennio abſidis, nobilis certe Eccleſiæ partis, ædificationem ) idcirco memorari, quod limen præcipua quadam religione & pompa collocaretur.

4. Non hoc ita erat Chriſtianarum ædium proprium, ut non idem ferme in Gentilium templis fieret, quod copioſe eruditeque Gaſpar Sagittarius [1] demonſtrat. Atque hinc religioſa apud illos fuiſſe templorum, publicorum lo-

co-

(1) *De Jan. vet.*

eorum quorumcumque, & privatarum ædium quoque limina, quæ verbis ſalutare, ornare floribus, oſculari, capillis matronæ verrere ſolerent, vulgo notum; ut neceſſe non ſit, Plautum [1], Virgilium [2], Tibullum [3], Ovidium [4], Livium [5], Lucanum [6], Ammianum Marcellinum [7], Latinos alios Scriptores appellare, ſive etiam Græcos. Eſt enim Theocriti illud de Eraſte [8] *κύσε τὴν φλιάν*. Cum vero Arnobius, negans, qui Ethnicorum Diis ſupplicaſſet, ægrotum ullum convaluiſſe, addidiſſet; *cum per omnia ſupplices irent templa, & Deorum ante ora proſtrati limina ipſa converrerent oſculis*; his verbis Heraldus, eumdem morem ſpectare eum putat atque Polybium, Græcis illis *πλύνουσαι ταῖς κόμαις τὰ τῶν ἱερῶν ἐδάφη*; In quem Polybii locum & Lipſius [9] diſſeruit. Nec tamen, ſi quæramus, unde hæc apud Chriſtianos liminum templorum religio orta ſit, aſſignanda illa origo eſt, quam viri ceteroquin pii atque docti perhibent; & in his Baronius ſcribens [10]; *ea quippe licentia, qua Deorum delubra in Eccleſias Chriſtianorum ſunt laudabiliter commutata, alii quoque ritus Gentilium a nobis, benedictionibus expiati, divino ſunt cultui conſecrati*. Si de prioribus Eccleſiæ ſæculis IV. aut V. agamus, Chriſtianorum rituum nullam talem oſtendi poſſe originem arbitramur; quæ adverſari etiam eorum temporum diſciplinæ videtur; juxta quam diſcedere maxime a ſuperſtitioſis Ethnicorum moribus videri volebant. Unde & templa ſibi eſſe & altaria Chriſtiani negabant: Romæ vero licentiam

hanc

(1) *In Mercat. init. Act.v.*
(2) *Æn.* III.
(3) *Lib.*I. *eleg.v. v.*44.
(4) *Metam. lib.*I.
(5) *Lib.* XLV.
(6) *Lib.*I.
(7) *Lib.*XLV.
(8) *Idyl.*XXIV. 17.
(9) *Lib.*II. *elect. cap.*6.
(10) *Ad a.*44. *n.*87.

hanc Deorum delubra in ſacras convertendi Eccleſias adhibitam non putamus; & nullam proferri poſſe, de qua conſtiterit Ethnicis Diis dedicatum templum olim fuiſſe.

5. Alia ergo origo quærenda eſt, cur præcipuam quamdam rationem ſacrorum Liminum Chriſtiani haberent. Atque illa videtur eſſe certiſſima, a reverentia quadam deducta metuque animis indito erga loca, quæ ſanctiora ſunt, quibus ſingulari modo quodam adſiſtere Deus putatur; ut ea ſcilicet propius adire reformidemus, nec audeamus in penitiores aditus ſubito irrumpere, ſed pedetentim & per quoſdam veluti gradus progrediamur. Hinc primo in limine velut pudibundi reſiſtimus, quaſi metuentes penetrare, præſtolanteſque ſi aliquis, aut vetet, aut invitet. Inſita hæc menti hominum quaſi lex & ratio potuit Ethnicos quoque adducere, ut ſacra limina revererentur, atque hoc pacto eſſet communis utriſque a naturali quadam prudentia origo hujus, ut multarum rerum ſacrarum; cur ſcilicet loca, cur tempora quædam ſingulari quadam ratione Deo ſacra haberemus? cur floribus aut lampadibus Superum ædes ornaremus? cur odores & thura incenderemus? Sunt enim hæc omnia a natura profecta, a qua, nullo docente, aut præeunte, admonemur; etſi nullo vel loco vel tempore Divina illa rerum effectrix & moderatrix natura comprehendatur, æquum etiam eſſet ut locis & temporibus omnibus colatur; ſpectata tamen hominum infirmitate ſatius eſſe, peculiaria quædam præſtitui loca vel tempora, quibus, quæ ſemper aut ubique non poſſumus, venerationis & cultus argumenta ſignificationeſque præſtemus: atque ea, quæ gratiora hominum oculis, auribus, ceteris ſenſibus accidunt, ei conſecremus. Verum Paganorum

rum

rum natio, hac naturæ admonitione neglecta, cur templorum limina ſacra habuerit, aliam a ſuperſtitione rationem habuit propriam & ſuam; quod nimirum liminum præſidem Deum quemdam ſingularem habuerit, cui illa venerationis argumenta exhiberet; quod nobis ex Noſtris ediſſerit Tertullianus (1) ſcribens; *Certi enim eſſe debemus; ſi quos latet per ignorantiam litteraturæ ſæcularis, etiam oſtiorum Deos apud Romanos, Cardeam a cardinibus appellatam, & Forculum a foribus, & Limentinum a limine: etiam apud Græcos Θυραῖον & Antelios Demonas, oſtiorum præſides legimus.* Eos idem alibi (2), & Cyprianus (3), ſi Pamelii lectionem ſequimur, quam & Leonardus Coquæus (4) agnovit, nominavit. Limentinum certe illum Arnobius (5) nobis exhibuit: atque inde illa Auguſtini feſtivitatis plena irriſio (6); *Unum quiſque domui ſuæ ponit oſtiarium, & quia homo erat, omnino ſufficit; tres Deos iſti poſuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini.* Hos Deos recentiores eruditi viri, qui de rebus hiſce ſcripſerunt, non ignorarunt, in primiſque Gyraldus (7): etſi utrum tantam Deorum turbam vetuſtiſſimi Romanorum habuerint, valde mihi dubium eſt; cum Varro eorum doctiſſimus Veſtam dumtaxat nobis liminum Deam repræſentet: de qua vir eruditus Ezechiel Spanhemius (8). Atque hactenus quid *liminum* vocabulo veniat; unde liminum nomen & religio profluxerit, dictum a nobis eſt.

6. Sequitur quæſtio valde illa quidem implexa & obſcu-

(1) *De Idolol. c.15.*
(2) *De coron.milit. & in Scorpiac.*
(3) *De idolorum vanitate.*
(4) *Ad Aug. de Civ. lib.IV. &* 8.
(5) *Lib.IV. pag.160.*
(6) *Lib.IV. de Civ. cap.8.* Vid. & *lib.VI. cap.7.*
(7) *Syntagm.1. pag.55. edit. fol.*
(8) *Diatrib. de Veſt.*

ſcura, a multiplici, quod in Eccleſiis Chriſtianis erat, limine orta. Multiplex enim limen fuiſſe, qui antiquarum Eccleſiarum formam & ſtructuram animadverterunt, non ignorant; quorum unum portarum erat, quæ a Græcis ὡραῖαι πύλαι dicebantur, alterum earum, quæ ἅγιαι πύλαι; illud in primo Eccleſiæ aditu; hoc in parte intimiori atque ingreſſu Sanctuarii. Et *Sanctuarii* quidem *januas*, ſupra quas Synodum Nicænam pingi Leo Papa juſſerat, memorat in Benedicti III. Vita [1] Anaſtaſius: nec alias quam Sanctuarii has januas & limen intelligunt Theodoſius & Valentinianus Auguſti in lege illa ſua [2], in qua ſcribunt, *Ad ſacra quoque Altaria munerum tantum offerendorum cauſa accedimus, & cum circumſeptum ſacrorum adytum ingreſſi ſumus, ſtatim egredimur*: ubi etiam contra nominant *extremas fores Eccleſiæ, quas oratum geſtiens populus primas ingreditur* [3]. Utrum igitur limen intelligendum ſit, difficile eſt decernere ob rerum utrobique & nominum ſimilitudinem. Nam præter fores, januas, & portas, quæ ambobus in locis eſſe dicuntur; erat utrobique veſtibulum; erant prætenſa trabibus vela; erant ſubjecti gradus. Occurriſſe primò Eccleſiam adeuntibus veſtibulum, notiſſima res eſt: quod quidem qua amplitudine & magnificentia conſtrui ſoleret, atque exornari, adjunctis ſcilicet porticibus, atque impluvio, cum cantharo ſeu perenni fonte, Paulinus teſtis eſt [4]: ait enim

*Iſtic porticibus late circumdata longis*
*Veſtibula impluvio tectis reſerantur aperto,*
*Et ſimul aſtra oculis, ingreſſibus atria pandunt.*
*Cujus in expoſito prælucens cantharus extat.*

B om-

(1) *Num.XII.*
(2) *Collect.CC. Labb.t 3. col.1247. Cod. Theodoſ. ex rec. Gothofr. lib.IX. tit.15. poſt l.4.*
(3) *Ib. l.4. §. Pateant.*
(4) *Natal.X. v.7.*

omnia hæc veſtibulorum, atriorumque nomine comprehendens. Quamvis enim in veteribus ædificiis, ut ex Vitruvio diſcimus, aliud eſſet veſtibulum atque atrium; Scriptores tamen noſtri (quod etiam Salmaſius *ad Solinum* (1) monuit) unum pro altero accipere ſolent, præſertim Anaſtaſius, qui atrium pro veſtibulo ſæpius uſurpat: quare in Sergio II. (2) nominat Baſilicæ Sancti Petri *atrium ſuper gradus juxta fores*. Eumdem locum *Paradiſum* eſſe appellatum, conſtat ex collatis Pauli Warnefridi (3), & Anaſtaſii locis (4) de Pontifice Dono. Nam prior, *Donus Papa Romanæ Eccleſiæ locum, qui Paradiſus dicitur, ante Baſilicam B. Petri Apoſtoli candidis & magnis marmoribus ſtravit*. Alter; *Hic atrium B. Petri Apoſtoli ſuperius, quod Paradiſus dicitur, & eſt ante Eccleſiam in quadriporticu, candidis & magnis marmoribus ſtravit*. Adde & ejuſdem illud in Symmacho (5); *Baſilicam vero B. Petri & cantharum ipſius cum quadriporticu ex opere marmoribus ornavit*. Volebant enim puris manibus in Eccleſiam ingredi Chriſtianos, quod Baronius adnotavit (6), & Paulinus indicat verſibus illis (7)

*Sancta nitens famulis interfluit atria limphis*
*Cantharus, intrantumque manus lavat omne miniſtro.*

Jam vero erat & veſtibulum ad Sanctuarii fores (etſi ædificiis illis minus inſtructum, nec tanta amplitudine protenſum; quod *veſtibulum altaris* appellatur ab Anaſtaſio in Sergio II. (8), & Leone IIII., ubi deſcribit (9) *fara ærea, quæ ſedent ſuper veſtibulum ſacri altaris*: iterumque (10), *ante ſacri altaris veſtibulum miræ pulchritudinis fecit trabem .... in qua* *ſa-*

(1) *Pag.* 1218.
(2) *N.* 10. *ex recenſ. Vignol.*
(3) *Lib.* v. *de geſt. Longob. c.* 31.
(4) *Num.* 1. (5) *Num.* 7.
(6) *A. C.* 57. *n.* 108.
(7) *Epiſt.* 32. *ad Sever. n.* 15.
(8) *Num.* 33. (9) *Num.* 24.
(10) *In Leo. IV. n.* 108.

Digitized by Google

*ſacra ac Dei venerabiles ſedent imagines*. Idem *veſtibulum ſacræ confeſſionis* nuncupatur (1); ac præciſe veſtibulum in S. Nicolao (2), ubi de velis in trabibus appenſis *intra tantæ ædis veſtibulum*.

7. Atque ex eodem hoc loco patet, vela in ſanctuarii aditu fuiſſe; quæ quidem ita foribus hiſce prætenſa erant, ut alia altare, ſedemque Epiſcopi circumveſtirent, alia, quæ ex intercolumniis penderent. Atque ita Anaſtaſius in Sergio (3); *fecit & in circuitu altaris Baſilicæ ſupraſcriptæ tetravela* VIII.: & in Leone III. (4) *Fecit in Baſilica B.Petri Apoſtoli vela de blatthin majora, quæ pendent per trabes argenteas dextra lævaque presbyterii, necnon & in circuitu Sedis*: & in Jo.VI. (5) *In Baſilica etiam B. Pauli Apoſtoli inter columnas altaris dextra lævaque vela alba conſtituit*. De his velis in parte interiori Eccleſiæ interpretor illud Athanaſii (6) de Arianis, qui *ſubſellia, thronum, menſam ligneam, vela Eccleſiæ* ( τὰ βῆλα τῆς Ἐκκλησίας ) direpta & aſportata ante oſtium in magna platea combuſſerunt. Sed vela alia non ad fores operiendas pertinebant, ſed ad Eccleſiæ quaſcumque partes, atque has potiſſimum, quas diximus, ornandas, de quibus velis Turonenſis loquitur, quando narrat (7), Chrotechildem Reginam, cum filium baptiſmo conſecrare vellet, *adornari Eccleſiam velis* præcepiſſe, *atque cortinis*; & mox (8); *Velis depictis adumbrantur plateæ Eccleſiæ, cortinis albentibus adornantur, baptiſterium componitur &c.* De his etiam Gregorius alter ideſt M. (9) Propius ad rem noſtram pertinent, quæ ἀμφίθυρα vo-



(1) *Leo IV. n.13.*
(2) *Num.54.*
(3) *Num.XI.*
(4) *Num.100.*
(5) *Num.3.*
(6) *Hiſt. Arian. ad Monach. n.56.*
(7) *Lib.II. Hiſt. c.29.*
(8) *c.31.*
(9) *Lib.XI. epiſt.44.*

vocat Chryſoſtomus (1), jubens quando vela trahuntur, quæ in oſtiis ſunt, cogitare nos cælum ſuperne diduci, & deſcendere Angelos: ex quo Chryſoſtomi loco explicandus Evagrius (2), cum narrat S. Sergio M. dono miſiſſe Coſrhoem *ἀμφίθυρον Οὐννικὸν*. A portis, quibus hæc vela prætendebantur, ita appellari bene adnotavit ad Evagrium Valeſius; eademque nominis ratione dicta *velotyra* in Vita Stephani V. Quamobrem corrigenda eſt lectio Blanchini, & Vignolii (3). *Fecit etiam in eadem Baſilica egregii Doctoris gentium belotera IV. . . . . contulit in eadem Baſilica Apoſtolorum cortinam lineam unam, velothera ſerica tria in circuitu altaris*: & reſtituendum *velotyra*. Velum hoc portæ ſanctuarii idem eſſe videtur, quod a Syneſio (4) cum ſacra menſa conjungitur, & *καταπέτασμα μυστικὸν* vocatur; niſi ſit id, quod Turonenſis (5) *coopertorium* appellat, *quo altare Dominicum cum oblationibus tegeretur*. Neſcio an de his Sanctuarii oſtiis intelligendus Hieronymus ubi de Nepotiano (6); *Erat ergo ſollicitus, ſi niteret altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pavimenta terſa, ſi janitor creber in porta, vela ſemper in oſtiis*: ut etiam Paulini illud (7)

> *Cedo alii pretioſa ferant donaria, meque*
> *Officii ſumptu ſuperent; qui pulchra tegendis*
> *Vela ferant foribus, ſeu puro ſplendida lino,*
> *Sive coloratis textum fucata figuris.*

Ad vela exterioris oſtii certe pertinet, quod Epiphanius narrat (8), cum veniſſet ad villam quæ dicitur Arcablatha, vidiſſet-

(1) *Hom. 3. in epiſt. ad Epheſ. n. 5.* ὅταν ἴδῃς ἀνελκόμενα τὰ ἀμφίθυρα

(2) *L. VI. c. 20.*

(3) *Vignol. in Stephan. V. n. 12. & 14. Blanchin. t. 1. An. n. 646. 648.*

(4) *Epiſt. 67. p. 212. ex rec. Pet. 2.*

(5) *Vit. PP. c. 8. n. 11.*

(6) *Epiſt. ex rec. Vall. 60. n. 12.*

(7) *Natal. VI. v. 29.*

(8) *Epiſt. ad Jo. Hieroſ. t. 2. opp. ex rec. Petav. p. 317.*

ſetque ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogaſſet, quis locus eſſet, didiciſſetque eſſe Eccleſiam, & intraſſet, ut oraret; *inveni*, inquit, *ibi velum pendens in foribus ejuſdem Eccleſiæ tinctum atque depictum, & habens imaginem quaſi Chriſti vel Sancti cujuſdam*. De his velis Anaſtaſius in Leone III. (1). *Fecit vela Alexandrina majora numero* v., *quæ pendent ſuper regias majores in ingreſſu Baſilicæ*: & paulo poſt; *fecit... & alia vela holoſerica majora* III., *quæ pendent ante Regias in introitu*: & deinde (2) nominat *alia vela majora Tyria ſuper Regias majores tria in ingreſſu Baſilicæ*. Notum eſt enim *Regias* eſſe portas. Quare Anaſtaſius idem in Canone (3), *Et Clerus quidem adunatus ante fores Baſilicæ Conſtantinianæ ſuſtinebat, eo quod, qui miſſi fuerant de exercitu ad cuſtodiendas Regias Baſilicæ, eas clauſas obſervabant, & minime quemquam ingredi permittebant*. Nec vero otioſe additum eſt *in ingreſſu Baſilicæ, & in introitu*. Nam *Regiæ* dicebantur etiam portæ Sanctuarii. Loca protulit Ducangius (4) ex Ordine Romano: *Notandum quod Camerarius Papa exit Regias, & dat cineres ſtando pedes illis, qui ſunt extra*: & mox; *Ipſa vero cruce ita collocata, Dominus Camerarius aliam Crucem portat extra Regias, comitantibus eum clericis cameræ & capellæ ad adorandum aliis &c.*

8. Erant denique utrobique gradus, per quos ad primam Eccleſiæ partem, vel intimam & ſanctiorem aſcendebatur. *Gradus ante fores Baſilicæ B. Petri* nominat ſepe Anaſtaſius, præſertim cum modum narrat, quo Principes excipiebantur (5). Gradus vero fuiſſe, per quos ad Sanctuarium & Preſbyterium aſcendebatur, ipſæ, quæ ſuperſunt veteres Baſilicæ, te-

(1) *Num.* 47.
(2) *Ibid. num.*63.
(3) *Num.*1.
(4) *Gloſſ. V. Regia*.
(5) *In Symmach. & in Sergio II.*

Digitized by Google

teſtantur, præſertim, quam Mabillonius [1] nobis repræſentat, & integriorem putat, S. Clementis. Ipſum etiam *Bematis*, ideſt Sanctuarii nomen, hoc nobis ſignificat; nec alia de cauſa Manichæorum feſtum, *Bema* olim appellatum ſcimus, niſi quod *quinque gradibus inſtructo Tribunali* celebraretur, ut narrat Auguſtinus [2]. Atque hi gradus erant, unde & libellos in Eccleſia recitatos credo, & Eccleſiaſtici officii partem quamdam decantatam, concionatos etiam interdum Epiſcopos. De concionibus extat inſignis locus Nazianzeni [3], in quo valere jubet ſermonum ſuorum amatores, ἡ, inquit, ϗ βιαζομένη κιγκλὶς αὕτη τοῖς περὶ τὸν λόγον ὠθιζομένοις: ideſt *&, cui vis infertur cancellata porta ab his, qui ſermonis tempore eam impellunt*. Nec aliter, ut puto Sidonius [4]

*Seu te conſpicuis gradibus venerabilis aræ*
*Concionaturum plebs ſedula circumſiſtit*.

Appellant enim *gradus venerabilis aræ*, Sanctuarii gradus, quod per hos quoque ad aram accedere ex navi Eccleſiæ neceſſe ſit. Quî enim plebs circumſiſtere potuiſſet concionantem ex ipſis altaris gradibus, qui Eccleſiæ parti, ubi populus conſiſtebat, obverſi fuiſſent? Ita etiam hos *gradus* altaris nominat Leo Oſtienſis [5] de Deſiderio loquens, & Caſſinenſis Eccleſiæ inſtauratione; *ſed illud præcipue, quod ſecus altare, & in choro gradibus illis, quibus ad idem altare aſcenditur, cruſtis pretioſorum marmorum decenti varietate diſtinxit*. Epiſcopum vero, qui gradibus ad cancellos Sanctuarii, ubi κιγκλὶς ſeu porta cancellata erat, inſiſteret, conferta turba facile circumſtare juxta cancellorum ambitum poterat, & cancellos impellere. Atque hoc loco Epiſcopo concionanti

Exe-

(1) *Comment. ad Ord. 2. §. 3.*
(2) *Contr. Epiſt. Manich. cap. 7. n. 9.*
(3) *Orat. 32.*
(4) *Carm.* XVI. *ex recenſ. Sirm. v.* 124.
(5) *Chr. Caſſ. lib.* III. *c.* 28.

Digitized by Google

Exedram poſitam puto, in qua ſederet, & de qua Exedra meminit Auguſtinus ibi *Sermonem redditum de ſuperiori loco* ſignificans (1). Nam bene, docente Valeſio (2), ἐξέδρα dicitur ἀπὸ τῆς ἔξω ἕδρας: adeoque a throno abſidæ, ubi Epiſcopus reſidere ſolitus erat, ſeparata. Nec vero abnuo (quod Prudentii de S. Hyppolithi Eccleſia verba (3) docere videntur) e throno quandoque, clericos maxime allocutum Epiſcopum. Et Socrates quidem veluti ſingulare aliquid (4), (quod Valeſius (5) adnotavit, & Baronius (6)) de Jo. Chryſoſtomo narrat; ex Ambone verba feciſſe ad populum, ut facilius audiretur. In Sanctuarii ergo, ſeu Presbyterii gradibus concionari Epiſcopi ſolebant, ut commodius audirentur. Atque hinc etiam quædam Clerici legere, aut decantare conſuevere. Quamquam enim ex Ambone, quod Sozomenus (7) *bema lectorum* vocat, lectio quoque fieret; tamen vel ſpectato rerum argumento, quæ legebantur, vel Clericorum ordine, lectionem quandoque ex gradu factam, lex Alamannorum docet (8); *Si Clericus qui in gradu Eccleſiæ publice lectionem recitat, vel gradale... aliquam injuriam paſſus fuerit &c.* Ex quo etiam loco dignitatem hanc quamdam habuiſſe colligitur, *in gradu* legere: ut etiam, lectionem inſtituere *in gradu ſuo*, ideſt, quin ſe de conſueto loco dimoverent: unde illud legatorum Hormiſdæ (9); *Libellum* ſuſcepimus, *& præſente omni clero vel plebe, in gradu ſuo, a ſervo veſtro Petro notario S. E. R. eſt relectus*. Decantata etiam in his gradibus nonnulla, allatæ legis verba in-

(1) *Lib. XII. de Civ. Dei cap. 28.*
(2) *Ad lib. III. Euſeb. V. C. cap. 15.*
(3) *Hymn. de S. Hypp. v. 225.*
(4) *Lib. VI. cap. 5.*
(5) *Ad h. l.*
(6) *Ad a. 407. n. 17.*
(7) *Lib. IX. cap. 2.* βῆμα τῶν ἀναγνωστῶν.
(8) *Tit. 16.*
(9) *In exempl. ſuggeſt. t. 4. a. Labb. col. 1484.*

indicant, & *Gradalis* ſeu *Gradualis* nomen: quod explicare videtur Leo Oſtienſis, de ornamentis ab eodem Deſiderio Abbate comparatis loquens (1); *Fecit & libellum ad cantandum ante altare, ſive in gradu*. Itaque vera videtur nominis ratio, quam Honorius Auguſtodunenſis (2) tradit, *Graduale a gradibus dicitur, quia in gradibus canitur*; additque, ideo etiam reſponſum vocatum, *quia choro cantante, ab uno verſus reſpondetur &c.* Sed Ven. Card. Thomaſius (3) veriorem, ut puto, alterius hujus appellationis attulit; lectori ſcilicet præcinenti, ſingulos verſus pſalmi, ſigillatim intercalari reſponſione plebem univerſam, una cum Epiſcopo & Clero repetendo, reſpondiſſe. Ut ergo exaudiretur, neceſſe erat, in altiori aliquo loco eum conſiſtere; & a loco, ſive a gradu *gradale* dictum eſt; quemadmodum *gradilis panis* dicebatur *panis gradibus diſperſus ab altis*, ut Prudentius ait (4). Non tamen placet, quod gradus ambonis hic nonnulli interpretantur: non enim ſatis intelligitur, cur incommodus adeo locus præfiniretur, & non in ambone potius cantor conſiſteret. Hos ergo gradus volumus, qui ad Sanctuarium erant; ſupra quos gradus latiorem aliquanto aream patuiſse vel inde conſtat, quod ibi eſſet extra Preſbyterii cancellos Imperatoris ſedes collocata; quod bene Ducangius (5) probat: Atque hæc ideo fuſius diduxi aliquanto, quod inde facile componi controverſia poſſe videtur, quæ viros duos doctiſſimos commiſit Jacobum Goarium, & Leonem Allatium de loco Soleæ veteris Eccleſiæ, quam prior dixit, eſſe baſim, fulcimentum, ac partes inferiores tabulati cancellati presbyterii, quæ ſolidæ fieri ſo-

le-

(1) *Lib. III. cap. 20.*
(2) *Lib. I. c. 96.*
(3) *Præf. ad Reſponſor.*
(4) *Lib. I. contr. Symmach.*
(5) *Deſcript. ad Soph. n. 42.*

Digitized by Google

lebant [1]; alter ſolum vel pavimentum extra cancellos, cancellis annexum, gradibus aliquibus reliquo Eccleſiæ ſolo ſuperius; quod nimirum ibi ſolium ſit Chriſti Imperatoris. Si tamen non nominis rationem hujus quæramus, de qua movere quæſtionem nihil refert; cum non neget Allatius, Soleæ nomen traductum ad ſpatium, quod ante ipſam ſoleam, ſeu cancellos effundebatur; controverſia profecto nulla erit, ſi Soleæ nomine hoc ſpatium ferme venire ſolere dicamus; in qua ſententia hæſit Schelſtratus quoque [2], Morinus [3], & Ducangius [4].

9. Et Ducangius quidem, ex nomine *ſoleæ* Græcobarbaro (quod varie effertur ὁ σολέας, σολεῖος, ἡ σολέα, ἡ σωλία, & profluxiſſe ab ea, quam *Soglia* Itali Scriptores dixere, ſuſpicatur, quibuſcum Byzantinis magnum commercium erat) quæſtionem noſtram decidendam putat, cujus hactenus expediendæ difficultatem proſecuti ſumus. Cum enim nobis Italis *ſoglia* idem valeat ac latina vox *limen*; & ſint *ſoleæ*, inquit, *idem quod limina, qua ultima voce utuntur paſſim Scriptores, dum de ædibus ſacris loquuntur, aut de iis qui ad ipſas ſacras ædes voti cauſa proficiſcuntur, hinc familiaris loquendi formula „ Ad limina ſanctorum proficiſci „ aut ea viſitare, cum de iis, qui ad eorum ſepulchra ſeu memorias peregrinationes inſtituunt, verba faciunt Scriptores*. Atque addit vir doctus. *Nam cum Sanctorum reliquiæ, ac corpora intra abſidas vel bemata in confeſſionibus, ideſt ſub ipſis altaribus recondita eſſent; Fideles in liminibus, ſeu in ſoleis bematis conſiſtebant, ibique preces ſuas ac vota exſolvebant*. Ex quibus quidem viri docti verbis facile eſt intelligere, hanc ejus ſen-

C ten-

(1) *De Solea in Symmict.*
(2) *Ad C. Antioch. p.192.*
(3) *De ordin. part.2. n.52.*
(4) *Deſcript. ad Soph. n.73.*

tentiam eſſe; *limina Sanctorum* cum nominantur, limina portarum Sanctuarii, ſeu gradus, quibus ad Sanctuarium aſcendebatur, venire. Et extat ſane diſertiſſimus Chryſoſtomi locus, quo idem probari poſſe videtur (1): *Templum*, inquit, *Chriſti ſumus: templi veſtibula & limen oſculamini* (2), *cum alii alios oſculamur. Annon cernitis, quotnam homines etiam hujuſce templi veſtibula* (3) *oſculentur, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admoventes? Ac per has portas, & januas ingreſſus eſt Chriſtus, & ad nos ingreditur, cum communicamus* (4). Quis autem neſciat, aut non fateatur vel ex ipſa Chryſoſtomi Liturgia, Euchariſticam communionem, non ad portas exterioris Eccleſiæ ambitus, ſed ad januas Sanctuarii fidelibus impertitam? Ad limina ergo, quæ his januis proxima erant, oſcula, & venerationis erga Sanctos argumenta præſtabant Chriſtiani; & hæc *limina Sanctorum* dicebantur.

10. Atque hinc mihi quidem ſtatuendum videtur, *Apoſtolorum limina* nequaquam ad portas pertinuiſſe extimas Eccleſiæ, ſed alias Sanctuario proximas. Nec tamen, ſi de Romana Apoſtolorum Baſilica loquamur, his adhuc acquieſco. Nam ipſarum Romanarum Eccleſiarum ſtructura, in quibus corpora Sanctorum depoſita erant, oſtendunt; præter eas, quas diximus Sanctuarii portas, fuiſſe portas Confeſſionis. Et *in Confeſſione* quidem *januas, quas* S. Hilarus fecit argenteas, Anaſtaſius nominat (5); in Hadriani vero vita (6) narrat, impendiſſe *in poſtem ſuperius ſacræ*

(1) *Homil.30. in epiſt.11. ad Corinth.num.2.*

(2) πρόθυρα φιλοῦμεν τινες, καὶ τὸν οὐδόν.

(3) τὰ πρόθυρα.

(4) διὰ τούτων τῶν πυλῶν, καὶ τῶν θυρῶν καὶ εἰσῆλθε, καὶ εἰσέρχεται πρὸς ἡμᾶς ὁ χριστὸς ἡνίκα ἂν κοινωνῶμεν.

(5) *Num.3. ex rec. Vign.* In confeſſione fecit januas argenteas penſantes pondo librarum L.

(6) *Num.83.*

*cræ confeſſionis auri mundiſſimi libras treſdecim, & in ipſius Apoſtoli confeſſionis liminari inferiori libras vigintiquinque*. Atque his januis appoſitos oſtiarios ſuos arbitror, qui cuſtodes Apoſtolorum ſeu Martyrum vel etiam *Martyrarii* dicerentur. *Martyrariorum* mentio extat apud Turonenſem ſæpius (1), in Aurelianenſi II.(2) &c. Anaſtaſius vero in Sancto Leone (3); Hic *conſtituit ſuper ſepulcra Apoſtolorum cuſtodes, qui dicuntur cubicularii ex Clero Romano. Cubicula* enim & ſepulcra dicta fuere. Suſpicio etiam oboritur mihi *Confeſſores* eoſdem a *Confeſſione* pariter dictos, ideſt a loco, quem cuſtodiebant, ſicuti a *martyrio* dicebantur *Martyrarii*; idque conferenti, quod Anaſtaſius habet in Silveſtro (4), & Sacramentarium S. Gregorii (5). Nam Anaſtaſius; *Hic conſtituit, ut ſiquis deſideraret in Eccleſia militare, aut proficere, ut eſſet primum Oſtiarius, deinde Lector, & poſtea Exorciſta per tempora, quæ Epiſcopus conſtituerit, deinde Acolythus annis V., Subdiaconus annos V., Cuſtos Martyrum annos V., Diaconus annis VII., Presbyter annis III. &c.* Sacramentarium Gregorianum, ut nunc quoque uſus fert, *Oremus & pro omnibus Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Acolythis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiariis, Confeſſoribus, Virginibus, Viduis, & pro omni populo Sancto Dei*. Confeſſorum nomine eos non venire, quos nunc poſt obitum *Confeſſores* vocamus, plane convenit. Quare Menardus hunc Gregorii locum interpretatur de *Cantoribus & Pſalmiſtis*. Sed ipſa alterius loci collatio evincit, qui *Cuſtodes Martyrum* dicebantur, hos eſſe in iſto *Confeſſores*.

11. Cum ergo in Romanis Baſilicis in ea parte, quæ

C 2 *Con-*

(1) *Lib.* II. *de mirac. c.*46. *lib.*IV. *Hiſt. c.* II.
(2) *Cap.* 13.
(3) *Num.* 8.
(4) *Num.* 8.
(5) *Feria* IV. *maj. Hebd.*

Digitized by Google

*Confeſſio* vocabatur, ubi Sanctorum corpora quieſcebant, & a Cubiculariis, ſeu Confeſſoribus cuſtodiebantur, januæ eſſent & limina, ſeu quos idem Anaſtaſius vocat [2] *gradus aſcenſionis, & deſcenſionis*; hæc *Sanctorum limina* dicta arbitror, & in Vaticana Baſilica *limina Apoſtolorum*; quæ venerari Fidelium religio ſoleret. Rem extra dubium ponere videtur, quæ ab Anaſtaſio inſtituitur de Ludovico Pio narratio [3]. Hunc enim dicitur Pontifex *in gradibus Apoſtolicæ aulæ* ſuo cum clero expectaſſe; Rex *univerſos gradus ejuſdem ſacratiſſimæ B.Petri Eccleſiæ* aſcendiſſe, & ad Pontificem appropinquaſſe; *ubi in atrio ſuper gradus ſacratiſſimæ B. Petri Eccleſiæ cum univerſo Clero, & populo Romano aſſiſtebat*: hinc *in interius ingreſſi atrium ad portas pervenerunt argenteas*; cumque pacifico ſe animo venire Rex Pontifici ſciſcitanti reſpondiſſet; & eodem Præſule præcipiente, appoſitis manibus, prædictæ januæ patefactæ eſsent: *ita*, ait Anaſtaſius, *in eamdem B. Petri aulam ingreſſi ſunt*: *ſicque cum eodem Pontifice ipſe Rex, ſimulque omnes Epiſcopi, Abbates, & Judices, & univerſi Franci, qui cum eo advenerant, ad Confeſſionem B.Petri appropinquantes, ſeſeque pronos ibidem proſternentes Deo noſtro omnipotenti, & eidem Apoſtolorum Principi gratias reddiderunt. Et data ab eodem Pontifice ſuper populum oratione, ab Eccleſia pariter omnes egreſſi ſunt*. Atque extat ſimilis ferme narratio de Carolo M. [4]: *Almificus Pontifex diluculo ſurgens in eodem Sabbato ſancto cum univerſo Clero, & populo Romano ad B. Petrum properavit, ad ſuſcipiendum eumdem Francorum Regem, & in gradibus ipſius Apoſtolicæ aulæ cum ſuo Clero præſtolabatur. Conjungente vero eodem excellentiſ-*

(1) *Not.*246.
(2) *In Silveſtr. n.*24.
(3) *In Sergio II. n.*10.
(4) *In Hadrian. n.*37.

*tiſſimo ac benigniſſimo Carolo Rege, omnes gradus ſingillatim ejuſdem Sacratiſſimæ B. Petri Eccleſiæ deoſculatus eſt* ( necdum tamen ad prima portarum Eccleſiæ limina pervenerat, ut ſit hoc ejuſdem pietatis ſingulare argumentum ), *& ita uſque ad prænominatum pervenit Pontificem, ubi in atrio ſuper gradus juxta fores Eccleſiæ aſſiſtebat ... & ita in eamdem venerandam aulam B. Petri Principis Apoſtolorum ingreſſi ſunt .... ſicque cum eodem Pontifice ipſe Francorum Rex, ſimulque & omnes Epiſcopi, Abbates, & Judices, & univerſi Franci, qui cum eo advenerant, ad Confeſſionem B. Petri appropinquantes, ſeſeque proni ibidem proſternentes Deo noſtro Omnipotenti, & eidem Apoſtolorum Principi propria reddiderunt vota*. Nunc enim Carolus conſecutus eſt, quod voluerat ( ut Anaſtaſius idem tradit (1) ): Nam *dum per ſex menſium ſpatium ipſe Francorum Rex Papiæ demoraretur in obſeſſione ipſius Civitatis, magnum deſiderium habuit, ad limina Apoſtolorum properandi*: adeoque limina Apoſtolorum attigit, cum ad Confeſſionem B. Petri appropinquans ſeſe pronum ibidem proſtravit. Ex quo quidem efficitur, limina quæ ad januas confeſſionis erant, ea limina Apoſtolorum fuiſſe. Idem alia multa exempla docent; in quibus modo Sanctorum limina appellantur, modo locus ſepulcro proximus indicatur. Turonenſis (2) de Baudegiſilo quodam narrat, a patre poſtulaſſe, *ut Baſilicæ S. Martini limina oſcularetur*. Cum pater annuiſset, *ante pedes Sancti*, ait Gregorius, *ideſt foris ſepulcrum filium devotus expoſuit*. Alibi (3) de paupere quodam, cui, dum in Eccleſia orabat, ſurreptus equus fuerat, ſcribit; *Anxius atque mæſtus ad ſepulcrum Sancti regreditur, ibique cauſas doloris, ac*

C 3 me-

(1) *Ib. n.35.* *cap.14.*
(2) *Lib. IV. de mirac. S. Martin.* (3) *De mirac. S. Juliani cap.21.*

*mœroris exponens*, ajebat; *Ad tua*, *Sancte*, *limina veni*, *nihil aliud quam parvitatis meæ vota deferre &c.* Ita etiam Paulinum intelligendum puto verſibus illis (1).

*Sanctaque Felicis rapido petit atria curſu.*
*Ingreſſuſque ſacram magnis cum fletibus aulam*
*Sternitur ante fores, & poſtibus oſcula figit,*
*Et lacrymis rigat omne ſolum, pro limine ſancto*
*Fuſus humi.*

Addam illud quoque, quod multis veterum teſtimoniis docemur; ad limina Sanctorum veniſse fideles oratum, ibique conſiſtere diu conſueviſse: Hoc vero ante eorum ſepulcra ab illis factum eſse conſtat. Eſt inſignis locus Turonenſis de S. Petri Sepulcro & Confeſſione, quem hic adſcribam (2). Poſtquam martyrium ejus deſcripſit; *ſepultus eſt*, inquit, *in templo quod vocitabatur antiquitus Vaticanum*, *quatuor ordines columnarum valde admirabilium numero nonaginta ſex habens. Habet etiam quatuor in altari, quæ ſunt ſimul centum, præter illas, quæ ciborium ſepulcri ſuſtentant. Hoc enim ſepulcrum ſub altari collocatum valde ratum habetur. Sed qui orare deſiderat, reſeratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit ſuper ſepulcrum; & ſic feneſtella parvula patefacta, immiſſo introrſum capite, quæ neceſſitas promit, efflagitat. Nec moratur effectus, ſi petitionis tantum juſta proferatur oratio.*

12. Reſtat poſtrema quæſtio, nec minus ipſa difficilis, de Apoſtolorum liminibus; utrum hæc in una dumtaxat ex Romanis Baſilicis ineſse intelligerentur, an in pluribus? Tres ſunt, quæ Principum Apoſtolorum pignora ſeu partem habere gloriantur, Vaticana, Oſtienſis, Lateranenſis. Quid Lateranenſis habeat, & a quo tempore habere cœ-

(1) *Nat.* VI. *v.*248. (2) *Lib.*1. *de glor. MM. cap.*28.

Digitized by Google

cœperit, nihil hic attinet dicere. Satis de hac re luculenter præter Joſephum M. Soreſinum (1), Daniel Papebrochius (2). Nos animadvertimus ſæculo IX. *liminum* mentionem apud Anaſtaſium extare in Sergio II. (3) *In primo quidem Pontificatus ſui exordio, ſuperno amore exardeſcens, in Baſilica Salvatoris, quæ Conſtantiniana vocabatur, miræ pulchritudinis opus explevit &c. Et aliud quidem opus ante fores hujus venerandæ Baſilicæ valde optimum peregit: quia ſacra pridem, quæ latebant, populis limina ſummo ſtudio omnibus manifeſta conſtituit; cum pulchre decoros ibidem arcus a fundamentis conſtrueret, quos etiam variis picturis nitide decoravit.* Vidit hunc Anaſtaſii locum Baronius, atque ita breviter de eo diſseruit (4): *Ceterum per ſacra limina intelligi eam, quam vocamus hodie Portam Sanctam, exiſtimamus: niſi potius auctor more ſuo improprie locutus, limina pro ſcalis uſurpavit. Nam antiquitus nonniſi Apoſtolorum Petri & Pauli limina culta inveniuntur; quæ & accedentes exoſculari conſueverunt, eademque ſacra limina nuncupata, ac frequentata. Scala vero Sancta ſcitur Lateranenſem Baſilicam fuiſſe illuſtratam.* Subſcribit huic alteri interpretationi Benedictus XIV. (5), atque eam valere omnino debere aſseverat, *poſtquam Paſchalis Papa II. in ſua Bulla edita a.* 1099., *quæque autentica forma ſervatur in Archivo Lateranenſi, clare & dilucide dixit; Sergium Papam II. ſuum anteceſſorem conſtituere ſacra limina, ſeu venerabiles gradus Sanctarum Scalarum ante Eccleſiam Lateranenſem;* „ *Cum itaque ſacra limina, ſeu venerabiles gradus, quos Hieroſolymis J.C.D.N. ſuis greſſibus, & ſanguine conſecravit, dudum Laterani*

(1) *De capitibus SS. Apoſtol. Petri & Pauli.*

(2) *In analect. de SS. Petr. & Paul. ad d. 29. Jun.*

(3) *Num.* 19.

(4) *Ad a.*844. *n.*13.

(5) *De SS. Canoniz. l.iv. part.*2. *cap.*26.

*rani latentes in ſui Pontificatus primordiis ante fores Eccleſiæ Lateranenſis ſponſæ noſtræ in ſcalam vulgo Pilati dictam adaptaverit, arcuſque ibidem ab eodem erectos devotis picturis exornaverit* „. Idem eadem Paſchalis auctoritate perſuaſus ſcripſerat Joſephus M. Soreſinus (1). Non ergo, auctore etiam Baronio, Apoſtolorum limina hac in Baſilica frequentata, & culta fuere.

13. Extitiſſe trophæa Apoſtolorum ad Oſtienſem viam, antiquiſſimorum temporum Scriptor teſtis eſt Cajus Preſbyter apud Euſebium (2). S. Tranquillinus M. ab Adone (3) dicitur *die octavarum Apoſtolorum, dum ad B. Pauli confeſſionem oraret, tentus a Paganis, ac lapidatus*, martyrium conſummaſſe: quæ ex Actis S. Sebaſtiani deſumpta, & ab Uſuardo contracta, Jo. Bapt. Sollerius Bollandianus (4), & Dominicus Georgius (5) animadverterunt. Prudentius quoque (6)

*Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum* &c.
*Parte alia titulum Pauli via ſervat Oſtienſis,*
*Qua ſtringit amnis ceſpitem ſiniſtrum* &c.
*Ecce duas fidei ſummo Patre conferente dotes,*
*Urbi colendas quas dedit togatæ:*
*Aſpice per bifidas plebs Romula finditur plateas;*
*Lux in diebus fervet una feſtis.*
*Nos ad utrumque greſſu properemus incitato,*
*Et his & illis perfruamur hymnis* &c.

Verum hæc aliaque multa his ſimilia, Paulum in Baſilica ſua Oſtienſi cultum ſignificant; *limina* vero *Apoſtolorum* huic

(1) *De Scal. S. pag.* xxv.
(2) *Lib.* xi. *H. E. c.* 25.
(3) *Ad d.* 6. *Jul.*
(4) *Ad Uſuard. Martyr. & in Act.* SS. *t.* 2. *Jul. pag.* 263.
(5) *Ad martyr. Adon.*
(6) *De coron. hymn.* 6. *ex recenſ.* Weit. *al.* 12. *v.* 31. 45.

huic quoque Eccleſiæ convenire, probare neutiquam poſſunt. Non de temporum noſtrorum moribus diſputo, & quid præſens uſus ferat, cum de his liminibus ſermo eſt; hoc dico, in veteribus monumentis *limina Apoſtolorum* de Vaticana Baſilica ferme ſolere uſurpari. Quare Galla Placidia cum id exoptaſset (quemadmodum ipſa ſcribit (1)) *ut liminibus Sanctorum ſuam exhiberet præſentiam*; addit, *Cum igitur B. Apoſtolo Petro noſtram præſentiam dediſſemus &c.* Sicuti pariter Licinia Eudoxia Auguſta (2), *Cum feliciter Romæ fuiſſemus ingreſſi, & in liminibus Baſilicæ SS. Apoſtoli Petri veniſſemus*. Atque ita pariter Petri unius *Baſilicam*, *Confeſſionem*, *Limina* alii ſæpe nominant. Optatus (3) Macrobium Donatiſtarum Epiſcopum arguit, *quod Cathedram Petri neque oculis unquam noverit, & ad ejus memoriam non acceſſerit*. De Theoderico Anonymus Valeſianus (4) *Ambulavit rex Theodericus Romam, & occurrit B. Petro devotiſſimus, ac ſi Catholicus*. Ennodius de Epiſcopo illo Viſitatore in cauſa Symmachi (5); *Inviſis B. Apoſtoli liminibus... jam neſcius ſui advocatur*. A. vitæ S. Hiliani (6) ita hunc loquentem inducit; *Eamus Romam, & viſitemus limina Principis Sanctorum Apoſtolorum*. De S. Wilfrido Eboracenſi Epiſcopo Eadmerus Vitæ Scriptor (7); *Ut autem Romam venit, Beatiſſimi Apoſtolorum Principis limina orandi gratia petiit*. Univerſim de iis, qui Romam peregrinabantur, ſcribit Nicolaus I. (8) *Tanta millia hominum protectioni ac interceſſioni Beati Apoſtolorum Principis Petri, ex omnibus finibus terræ properantium ſeſe quotidie conferunt, & uſque in finem vitæ ſuæ apud ejus limina ſemet*

(1) *Epiſt. ad Pulch. ant. C. Calch. c.23.* (2) *Ibid. cap.22.*
(3) *Lib.1I. n.4.*
(4) *Ad calc. Ammian.*
(5) *Apolog. pro Sym.*
(6) *Ap. Mabill. Sæc.1I. B.*
(7) *Sæc.11I. p.1.*
(8) *Epiſt.IX. Coll.Labb.*

Digitized by Google

*met manſura proponunt*. Ex quibus quidem apparet; cum *Apoſtolorum limina* nominantur; id de B.Petri Baſilica accipiendum. Patet id vel ex eo, quod narratur a Beda (1) de Cedwalla rege; *Venit Romam, hoc ſibi gloriæ ſingularis deſiderans adipiſci, ut ad limina Beatorum Apoſtolorum fonte baptiſmatis ablueretur*. Baptizatus vero eſt ad S.Petrum; Petri nomen retulit, & paulo poſt mortuus, *in ejus quoque Eccleſia ſepultus eſt*. Alterum vero ejuſdem rei argumentum deſumi ex eo poteſt, quod, quæ Apoſtolorum limina dicta ſunt, eadem poſtea unius Petri limina aut Eccleſia dicuntur. Anaſtaſius de Theudone Duce Bojariorum (2); *Eo quoque tempore Theudo Dux gentis Bojariorum cum aliis gentis ſuæ ad B.Petri Apoſtoli limina, orationis voto primus de gente eadem occurrit*, Et tamen idem narrans Paulus Diaconus (3) dixerat; *His diebus Theudo Bojoariorum gentis dux, orationis gratia, Romam ad BB.Apoſtolorum veſtigia venit*. Sic pariter de S.Bonifacio Germanorum Apoſtolo Willibaldus Vitæ ſcriptor (4); *litteris etiam commendatitiis .... ad limina Apoſtolorum Romam venire tentavit*: & deinde poſtquam ſocios congregaſſe narravit; *limina B.Petri Apoſtoli proſpere aggreſſus eſt... atque Eccleſiam S.Petri Principis Apoſtolorum magno cum gaudio ingreſſi &c.* Cum ergo Apoſtolorum limina, quæ dicantur, eadem ſolius Petri appellentur; Pauli verò ſolius appellata nunquam inveniantur; hoc maxime decus baſilicæ Vaticanæ tribuimus, ut Apoſtolorum limina illic fuiſſe dicenda ſint; & eadem ratione, quando Apoſtolorum Petri & Pauli limina nuncupantur, nonniſi unam Vaticanam Baſilicam interpretari nos oportere arbitremur.

(1) *Lib.v. c.7.*
(2) *In Gregor. II.*
(3) *De reb. Long. c.44.*
(4) *Ap. Mabill. S.111.*

mur. Quare miror, virum eruditum, Theodericum Ruinartium, quod in libris Gregorii Turonenſis ſæpius limina Beatorum Petri & Pauli nominentur, de Oſtienſi quoque Pauli Baſilica intelligere maluiſse.

14. Hoc vero maxime evincit ratio, ex qua potiſſimum frequentata limina illa a peregrinantium turbis fuiſse, intelligimus ex veteribus Auctoribus: *Poſt circulum annorum*, ait de S.Wilfrido, quem ſuperius nominavimus, Eddius (1), *ſuggerente Spiritu S. appellare & videre Sedem Apoſtoli Petri & Apoſtolorum Principis, adhuc inattritam viam genti noſtræ tentare, in cor adoleſcentis ſupradicti aſcendit, ab ea omnem nodum maculæ ſolvendum ſibi credens*. Ad quem Eddii locum Mabillonius; *Erat ergo jam tum perſuaſio* (Sæculo ſcil. VII.) *Indulgentiæ gratiam contingere his, qui religionis cauſa ad limina Apoſtolorum peregrinabantur*. Atque hinc S. Bonifacio ſcribit Eangyth Abbatiſsa (2); *Notum tibi facere volumus, frater Bonifaci, quia multum temporis fluxit, ex quo deſiderium habuimus, ſicut plurimi ex neceſſariis noſtris, & cognatis, ſive alienis, quo quondam Orbis Dominam Romam peteremus, & ibi peccatorum noſtrorum veniam impetraremus, ſicut alii multi fecerunt, & adhuc faciunt*. Id quoque erat, quod Beda ſignificat de Oſtfordo Epiſcopo loquens (3) *Romam adire curavit, quod eo tempore magnæ virtutis æſtimabatur*. Jam vero hoc B. Petro ſoli convenit. S. Canutus in epiſtola ad Anglos, quam Guillelmus Malmesburienſis recitat (4), *Notifico vobis, noviter me iiſſe Romam pro redemptione peccatorum meorum... Et ideo hoc maxime patravi, quia a Sapientibus didici, S. Petrum Apoſtolum magnam poteſtatem accepiſſe a Do-*

(1) *Ap. Mabill. Sæc.IV. B.p.677.*
(2) *Epiſt.38.*
(3) *L.IV. cap.23.*
(4) *Lib.II. cap.2.*

Digitized by Google

*Domino ligandi atque ſolvendi, clavigerumque eſſe regni cæleſtis, & ideo ſpecialiter ejus patrocinium apud Deum expetere, valde utile duxi.* Hanc etiam cauſam allegabat S. Wiborada, cur ad Romana limina peregrinari cuperet, ut tradit Hartmannus Monachus vitæ ejus ſcriptor (1); *Cœpit inter hæc fratrem quotidianis monitis perurgere, ut quia ſcirent, B. Petro Apoſtolorum Principi commiſſam eſſe curam gregis Dominici, claves regni cæleſtis cum poteſtate ligandi ſolvendique contraditas &c.* Erat ergo itineris Romani & limina ſacra inviſendi potiſſima cauſa, poteſtas B. Petro, regni cœleſtis clavigero, a Jeſu Chriſto concredita, ſolvendi remittendique peccata. Apoſtolorum ergo limina, & BB. Petri & Pauli limina, ea, quæ in Vaticana Baſilica erant, Veteres intelligebant.

(1) *Ap. Bolland. ad d. 3. Maj.*

Digitized by Google

Digitized by Google